



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiæ**

In Qvinque Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

**Wion, Arnold**

**Venetiis, 1595**

Qva Ratione Hic Labor Vsceptvs Est. §. j.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38372**

DE ANTIQVISSIMA  
ET ILLVSTRISSIMA  
FAMILIA ROMANA,  
ANICIA, PROBA, OLYBRIA,  
PERLEONIA FRANGIPANIA,  
HABSBVRGIA, AVSTRIA:  
TRACTATVS.



QVA RATIONE HIC LABOR  
SVSCEPTVS EST.

§. j.

**S**OLOENT interdum qui Principibus libros inscribunt, in exordio, ut ab illis gratiam ineant, ab ultima origine eorum generis, & antiquitatem, & laudes repetere. Quos ego quamquam improbare non possum, hoc tamen loco minimè in omnibus sequi proposui. Cum enim consilium cœpisset, quædam mea scripta Augustissimo Philippi II. Hispaniarum Regis potentissimi nomini inscribendi, non induxi animum res in pace, & bello præclarè gestas, aut singulares planeque regias virtutes, & cum virtutibus consentientes actiones eius explicare. Siquidem & annalium monumen-

tis

U  
tis illa omnia esse mandata , & eiusdem diuinis actiones , à luculentissimis huius etatis Scriptoribus consignari , ut monumentis mandentur , maxime intelligebam . Illis igitur prætermisis , generis eius tantum antiquitatem & originem , in praesenti tractare proposui : quippe quod nihil tam potentissimo Regi , Dei Opt . Max . beneficio , sicut uidemus , ad hæc tempora Imperio nato , possit addi , quo illustrior , & amplior esset , unius sollemmodo Familiae sue , eousque nobilissima & antiquissima , quæque genus ipsum à Regibus , ac Cæsaribus duxit , virtutibus prorsus Regijs maiorum suorum egregie conseruat , demonstratione habetenus à multis ignorata (ob quorundam scriptorum ieiunorum planè somnia , qui ut sese in Principum animos insinuarent , de hac Illustriss . familia multa apocrypha , & auctoritate prorsus parentia , excogitarunt ) excepta . Hæc , ut à nobis deducetur , sicut multis noua & inaudita , quibusdam fortassis etiam uidebitur & incredibilis , eo quod S . P . N . Benedictum videlicet , ac Principes Austriacos , uti in epistola dictum , ex eadem esse familia propagatos asserimus , et quos Progenitores ipse habuerit declarantes , ab iisdem etiam , succedente tempore , familiam Austriacam manasse monstramus . Speramus tamen fore , quod , cum propositi nostri capaces extiterint , admiratione , que ex ignorantia procedere solet , rejecta , & omnis dubitatis scrupulo depulso , ipsi nobiscum sentire debeant . Id enim usus venit in singulis hominibus , qui cum virtutes cuiusque cognoverint , tandem etiam de etate per-

contantur :

contantur: & postquam familiarium integrum seriem,  
atque egregia facta perspexerint, antiquitatem quoque  
earum, & originem scire desiderant: & tum demum  
utrobique acquiescunt, cum effectu suo dignam causam  
deprehenderint. Ad hanc autem prouinciam, baete-  
nus intentatam, & humeris meis impar em subeundam,  
multis quidem grauibus, & legitimis causis, acceden-  
te maxime RR. PP. meorum, quibus refragari im-  
pium reputabam, obedientia, impulsus sum; attamen  
nihil adeo acrius me exstimulauit ad originem S. P. N.  
Benedicti, totiusque Anicetæ familie, diligentius in-  
quirendam, ac gratitudinis ratio. Nam sanc cum or-  
tus nostri partem patria, partem parentes, siue i&j car-  
nales sint, siue spirituales, sibi vendicent: non im-  
merito prima cura deberi uidetur cognoscendis maiori-  
bus nostris, quibus non modo patriam, sed & paren-  
tes etiam nostros, tam carnales, quam spirituales, ac-  
ceptos ferimus. Hi enim patriam ipsam in qua na-  
sceremur, & renasceremur, sanguine, & sudore suo  
nobis preparauerunt; Hi parentes nostros, tam car-  
ne, quam spiritu, progenuerunt, qui eam ab illis acceptam  
industria sua excultam, qualis nunc est per manus no-  
bis tradiderunt. Illis igitur propaginem, spiritum, vi-  
tam ipsam: illis quicquid ingenuitatis (sunt enim &  
Religiosi Benedictini ingenui) dignitatis, nobilitatis,  
habemus; illis imagines nostras, illis insignia, illis  
gentilitia decora, & privilegia uniuersa debemus.  
Quibus proinde, ut omnis incolumitatis, fœlicitatis,

tt

D  
Vpon.

Vite

et salutis nostrae, geminis auctoribus indagandis, ac  
pro merito celebrandis, omne officium, studiumque no-  
strum gratitudinis ergo debemus. Nec vero puerile  
hoc studium aliquis existimet, aut quod ad inanem quan-  
dam ostentationem tantum suscipiatur; nam, et pri-  
uatum quoque singulis hominibus conferet, cum non a-  
liunde nobilitatis suae, certius documentum adducere  
quisquam possit, quam ex familiae suae antiquitate, et  
maiorum suorum imaginibus, quam altissima serie de-  
ductis. Quamuis autem in hoc negotio magnopere la-  
borandum nobis necessarium fuerit, parum tamen id  
foret, si, que vera nos esse arbitramur, ea solum pro-  
ponenda esse putaremus. Iam vero cum obstantibus  
opinionibus, dubijs, et controversijs, ad veritatem  
aditus non pateat, nisi remotis falsis, praesentem tracta-  
tum in particulares quasdam partes, potissimum tres,  
secauimus. In quarum prima, eorum sententiam, qui  
Familiam Habsburgicam aliunde deducunt, falsam esse  
comprobabimus, et obiecta quaedam diluemus, que à  
diuersis contra assertionem nostram opposita videntur.  
In secunda, sententiam nostram ab initio propositam  
prosequemur, ac dilucidis Testimonij fidei dignorum  
Historicorum, veram esse comprobabimus. In ter-  
tia Aniciae familiae antiquitatem, originem, seriem  
continuatam, eiusque in diuersas Familias sectio-  
nem, et diuisionem, aperte demonstrabimus. Ac profi-  
teor equidem me inuitum admodum in hanc arenam pro-  
trudi, cum odiosum videri possit opinionem hanc Lazij.

con-

conuellerē , plurium Scriptorum suffragijs Lazio asti-  
pulantibus iam confirmatam , & multarum nationum  
tacito consensu receptam , ac Habsburgiorum ipsorum si-  
lentio tam diuturno comprobatam . Interim verò cum  
veritas in historijs præcipue spectanda sit , neque La-  
zio prodeesse , neque nobis obesse debet silentium nostrum ,  
cum veritas , temporis longitudine non prescribatur .  
Nam quod Lazio ex nostratis nemo hactenus respon-  
derit , non rationum , sed scriptorum penuria fecit ; cum  
nullus nostratum historicorum hactenus , quod eviderem  
sciam , in lucem prodierit , præter Volaterranum , qui hanc  
veritatem comprobare ausus fuerit . Igitur errores de  
Hasburgica familia , unde nati sint , Deo fauente , di-  
lucide declarabimus . Quod quia citra cuiusquam con-  
tumeliam facturi sumus , hanc nobis gratiam à benigno  
Lectore præstari cupimus , ut patienti animo , quæ  
adferemus accipiat , & ubi acceperit , tum demum iu-  
dicet , & quod sibi legitimè probatum esse senserit , se-  
positis affectibus , candidè retineat .

OPI-